BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 130v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

magis ubicumque fuerit: et ego loquar de te
ad patrem meum. et quodcumque videro
nunciabo tibi. Locutus est ergo Jonathas
de David bona ad Saul patrem suum. Dixit-
que ad eum. Ne pecces rex in servum tuum
David: quia non peccavit tibi: et opera
eius bona sunt tibi valde. Et posuit
animam suam in manu sua: et per-
cussit Philisteum: et fecit Dominus
salutem magnam universo Israeli. Vi-
disti et letatus es. Quare ergo peccas
in sanguine innoxio interficiens David
qui est absque culpa? Quod cum audisset
Saul placatus voce Ionathe iuravit.
Vivit Dominus quia non occidetur.
Vocavit itaque Jonathas David: et
indicavit ei omnia verba hec. Et in-
troduxit Jonathas David ad Saul:
et fuit ante eum sicut fuerat heri et nu-
dius tertius. Motum est autem rursus
bellum. Et egressus David pugnavit
adversus Philistiim. Percussitque eos
plaga magna: et fugerunt a facie
eius. Et factus est spiritus Domini malus in
Saul. Sedebat autem in domo sua:
et lanceam tenebat. Porro David
psallebat manu sua. Nisusque est
Saul configere David lancea in pariete.
Et declinavit David a facie Saul.
Lancea autem casso vulnere perlata est
in parietem. Et David fugit: et salvatus
est nocte illa. Misit ergo Saul satellites
suos nocte in domum David ut cus-
todirent eum: et interficeretur mane.
Quod cum annunciasset David Mychol
uxor sua dicens. Nisi salvaveris te
nocte hac. cras morieris: deposuit eum
per fenestram. Porro ille abiit et fu-
git: atque salvatus est. Tulit autem Mychol
statuam. et posuit eam super lectum:
et pellem pilosam caprarum posuit ad
caput eius. et operuit eam vestimentis.
Misit autem Saul apparitores. qui ra-
perent David. et responsum est quod egro-
taret. Rursumque misit Saul nuntios
ut viderent David dicens. Afferte eum ad
me in lecto ut occidatur. Cumque ve-
nissent nuntii: inventum est simula-
chrum super lectum: et pellis caprarum ad ca-
put eius. Dixitque Saul ad Mychol. Quare
sic illusisti michi. et dimisisti inimi-
cum meum ut fugeret? Et respondit Mi-
chol ad Saul. Quia ipse locutus est mihi
dicens. Dimitte me alioquin interficiam
te. David autem fugiens salva-
tus est. et venit ad Samuel in Rama-
tha. et nuntiavit ei omnia que fecer-
at sibi Saul. Et abierunt ipse et Sa-
muel: et morati sunt in Nayoth. Nun-
tiatum est autem Sauli a dicentibus. Ec-
ce David in Nayoth in Ramatha. Mi-
sit autem Saul lictores ut caperent
David. Qui cum vidissent cuneum
prophetarum vaticinantium et Samuel stan-
tem super eos: factus est etiam in illis spiritus
Domini: et prophetare ceperunt etiam ipsi. Quod
cum nuntiatum esset Sauli: misit alios
nuntios. Prophetaverunt autem et illi. Et rur-
sum Saul misit tertios nuntios: qui
et ipsi prophetaverunt. Et iratus est iracun-
dia Saul. Abiit autem et ipse in Ramatha:
et venit usque ad cisternam magnam que
est in Sochot. et interrogavit et dixit.
In quo loco sunt Samuel et David?
Dictum est ei. Ecce in Nayoth in Rama-
tha sunt. Et factus est etiam super eum spiritus Domini:
et ambulabat ingrediens. et prophetabat
usque dum veniret in Nayoth in Rama-
tha. Et exspoliavit se etiam ipse vestimen-
tis suis: et prophetavit cum ceteris coram
Samuel. Et cecinit nudus tota die illa
et nocte. Unde et exivit proverbium. Num
et Saul inter prophetas?

·XX·

Fugit autem David de Nayoth que est
in Ramatha. veniensque locutus est
coram Jonatha. Quid feci? Que
est iniquitas mea et quod peccatum meum in
patrem tuum. quia querit animam meam? Qui
dixit ei. Absit a te. Non morieris. Neque
enim faciet pater meus quicquam grande vel parvum

Et abiit in Nayoth in Ramatha.